

B. M. II, 185.

h. 50, 27.

XXIV.

X 1881013



Q. B. V.

ICTOPOYMENA

DE

ORDINE ELE-
PHANTINO

publice interpretabitur

PRAESIDE

VIRO Praecellentissimo,

M. VAL. ERN. LOESCHERO,

ORD. PHIL. ADJ.

ET RESPONDENS,

M. JO. ERNESTUS OTTO,

Numburgensis.

Ad diem 30. Mart. clc lcc XCVII.

WITTEBERGAE,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

XVII.

ORDINE
PHANTINO
DE
ICTOPOYMENA
O. R. N.

publice interpretabitur

BRASILE



M. VAL. ...

...





Q. B. V.

I.



Undum defunt Germaniæ He-
roes, quos barbaro hostium fu-
rori, & vicinorum fraudulentis
insultibus opponat, quos cum
fortissimo quoque veterum non
infeliciter contendat: Non-
dum emarcuit flos Celticæ for-
titudinis, nec intercidit parta
majorum virtute atque indu-
stria dignitas, quam exteri qui-
libet, etiam invidiæ alumni suis interdum ingratiis agno-
scere ac dilaudare coguntur. Nolim equidem pertinaci-
ter iis refragari, qui cum *Jo. Barclajo Icon. Anim. cap. II. p. 17.* defendunt, omnia secula suum habere genium, qui
mortalium animos ad diversa studia soleat inflectere: quas-
dam ætates populorum præcipue armis exercitas, mox e-
vanuisse Martium illum vigorem, gentesque ad quietem
compositas inertis torpore obriguisse: iis vero nihil conce-
do, qui ad præsentem Germaniæ nostræ conditionem cum
recentioribus quibusdam Gallis nimis rigide hoc axioma
applicant, & secuti injuriam in nos *Aen. Sylvii Epist. CXXX.*
censuram, Germanos hodie *terrore plevos & leporino cor-
de præditos* appellant. Non sufficit exteris præter omne
jus & meritum literaria laude Germanicam gentem ex-
cludere, cum Moschis ac Russis eorum ingenia compara-
re,

re, ut *D. Boubours Dialog. IV. de Eleg. Ingen. p. 223.* fecit, & Germanicum appellare, quicquid irato Apolline & invitis Musis inficetum ac elumbe producitur, ut Satyricorum Gallorum Princeps, *Nicol. Boilavins Sat. IX. p. 63.* & *A. Babilletus* assolent: etiam vetus illud & hæreditatis quasi titulo in nos devolutum fortitudinis encomium nobis derogant, ut omnibus ornamentis destituti, vix in tertiis consistamus. Priori calumnia nos liberavit, qui nuper *vindicias nominis Germanici* edidit, *CL. Vir*, qui utinam *Cel. Morbosii*, quem de *meritis Germanorum literariis* meditabatur, laborem in se susciperet: posteriorem res ipsa redarguit, & publica Heroorum exempla, quæ recenti omnium memoria asservantur.

II. Intueantur exteri gloriosissimi Herois imaginem in Potentissimo Saxonum Electore, **FRIDERICO AUGUSTO**, qui Divi Patris vestigia legens, terror barbarorum Christianique nominis defensor omnium ore citatur, Turcicus Tartaricusque, ac Hercules Saxonicus merito appellandus. Conferant cum fortissimo quoque veterum **MAXIMILIANUM EMANUELEM**, Septemvirum Bojum, & perfectissimum Heroicæ virtutis exemplar habebunt. **LUDOVICO GVILIELMO**, Principi Badensi nihil deest ad summum militaris gloriæ fastigium immortalis virtute atque industria partum, quem, si aliquot seculorum commendatio accederet, inter Alexandros & Cæsares numeraremus. **JO. ADOLPHO**, Principi Holfato ne maledicentissimus quidem derogare poterit, quam æternis sibi meritis comparavit, excellentissimi Herois dignitatem. Taceo **FERDINANDUM GVILIELMUM**, Heroem VVurtembergicum, terrorem Gallici nominis, & alios, quorum gloria adversariis virtutis Germanicæ ignota esse non potest.

III. Non deesse Germanis animos ac vigorem Martium,

tium, vel tot Equitum ordines documento sunt, qui in Germania florent: Nam præter Equites auratos, quos IMP. extra ordinem creat, numeramus Teutonicum ordinem, Johanniticum, sive Melitensem, quem Serenissimo Principi Saxoniae Weissenfelsensi, CHRISTIANO nuper collatum gratulamur, & S. Georgii in Carinthia, quibus alium contra Turcos instituendum proceres Imperii A. 1576. addere voluerunt, ut ex *Oldenburgeri Limn. enucl. Lib. III. c. XXVIII.* constat. Præterea plerique Germaniæ Principes exteris etiam ordinibus nomina dant, ut Ordini Hispanico Aurei Velleris Josephus Rex Rom. Carolus Archidux, Ludovicus Gvilielmus Marchio Badensis, Ordini Anglicano Periscelidis Electores Saxo & Brandenburgensis, Danico vero Ordini Elephantino XX. qui hodie vivunt Germaniæ Principes, quibus nuper accessit Serenissimus Princeps, JO. ADOLPHUS Saxoniae Juliæ Cliviæ & Montium Dux, Dominus noster clementissimus, cui indulgentissimo PATRIAE PATRI subjectissimo animo oblatum a Potentissimo Danorum Rege amicitiae pignus & Heroicæ virtutis præmium gratulamur. Ea fuit occasio accuratius inquirenti in hujus ordinis Historiam, quam breviter summatimque præsentis Schediasmate pervestigabimus, divinum nobis auxilium, bonorumque omnium favorem pollicentes.

IV. Non supervacaneus, aut inanis labor est, Equestrium ordinum Historiam interpretari, quem summi quidam doctissimi que viri susceperunt, inter quos jure suo excellunt *Andreas Mendo & Justinianus*, qui Historiam Ordinum Equestrium, *Hier. Megiserus*, qui Delicias Equestres, *Aub. Miræus*, qui Origines Ordinum Equ. *Franc. Mennens*, qui Equestrium Ord. Symbola & Origines conscripsere. Præter hos *Marc. Anton. Porezius* in Tab. Militaribus, *Bernbardus Luciburgius* in Lib. de Armorum Milit. Myster.



Petrus Beloyus in Libello de Origin. Eqv. militar. *Jo. Chr. Becmannus* in Tractatu Observationibus de ordine Joannitico præmissis, generatim de isto capite commentati sunt: Speciatim de *Ordine joannitarum*, qui etiam Hospitalis & Melitensis dicitur *Th. Bosius* in Histor. Eqv. Melit. *Boysartius* in Histor. Ord. Hospit. *H. Pantaleo* de Ord. S. Joann. *Jo. Franc. Abela* in Hist. Eqv. Melit. *C. Osterhausius* in Notitia Ord. S. Joann. *I. C. Becmannus* in Observat. de Ord. Joannitico, & qui nuper de dignitate equestri scripsit *C. F. Menetrerius*. De ordine *Templariorum* *Nic. Gurtlerus* & Excell. *D. I. C. Wichmanshausius*, Præceptor honoratissimus peculiari Dissertatione bene ac copiose scripsit. De *Aurei Velleris* Ordine *Gvil. Filiatrius* in Libris de Aureo Vellere, *Jo. Meyerus*, *Alvarus Gomez de Mendoza*, *Gvil. Mennens* in Lib. III. Aurei Velleris, & *Julius Chifletius* in Breviario Hist. Aur. Vell. data opera disputarunt: De Ordine *Alcantara* aliisque Hispanorum Ordinibus Equestribus *Franc. Radefius de Andrada* in Chron. Alcantar. de Ordine *S. Jacobi Alphonsus Moralis*, de ordine *Periscelidis Erbardus Cellius* in Inaugur. Ducis Wurtemb. ac *Elias Asbmolius* in Instit. & Legibus ejus, & *Celeb. Thulemarius* Dissert. peculiari, de Ordine *Danebrogico* *Th. Bartholinus* de Ordinibus Gallicis *Jo. Feronius* peculiaribus scriptis egerunt.

V. Nemo igitur vitio nobis vertet, quod eruditissimorum, quos enumeravimus, virorum exempla secuti, de simili materia cogitemus, & celeberrimum Elephantis ordinem, pervestigatis veterum ac recentiorum monumentis, accuratius consideremus, atque pro virili nostra, quicquid de illo memoratu dignum, aut ab aliis nondum digne explicatum occurrit, tradamus. Non diffitemur præceptam nobis hanc differendi materiam a *Cl. Leonb. Ludov. Voigtio*, qui ante aliquot annos Ordinem Elephantinum descri-

scri-

scripsit; Sed cum amplioris spicilegii licentiam nobis fecerit, & in quamplurimis dissentiendi occasionem dederit, non discessimus ab instituto nostro, sed eo fortius illud insecuti sumus. Equidem *J. Seldenus Part. I. de Tit. Honor. p. 140.* affirmat, nihil de hoc ordine scribi posse, quod non omnes ordinum scriptores habeant: sed miror adeo confidenter locutum virum doctissimum in re, quam secus se habere, nostra dissertatio ostendet.

VI. Atque imprimis nominis ratio habenda nobis est, quicquid *Cartesius* aliique cavillentur: Ordo Equestris Elephantinus dicitur, derivato Ordinis vocabulo ab Ordinibus monasticis, qui superioribus seculis proprium sibi istud nomen fecerant: Eo enim tempore *ordo* vel dignitatem Ecclesiasticam notabat, ut apud *Durandum Lib. II. Ration. c. I. Hug. de S. Victore Lib. I. de Sacram. c. 44. & Menardum ad Lib. Sacram. p. 270.* vel collegium monachorum, ut apud *Arnold. Lub. Lib. IV. c. 13. Vid. J. Seldenus, in Not. ad Eutyck. Orig. p. 27. seq.* vel librum, in quo Leges Ecclesiasticæ & Monasticæ descriptæ erant, ut sunt *Ordo Romanus, Ordo S. Benedicti, Victoris.* Cum igitur plerique, imo omnes superiorum seculorum equestris ordines sacri essent, vota que ad imitationem ordinum monasticorum requirerent, collatus illis est Ecclesiasticus ordinum titulus. Etiam pueri sciunt, apud Romanos quamvis societatem publicam ordinis nomine venisse, equitumque ordinem dictum nobiliorum in ista urbe collegium, ratione a nostro instituto quam longissime sejuncta.

VII. Equestris ordo dicitur, quia, qui illi adscripti sunt, equites, sive nobiliores censentur: ita enim apud veteres pariter & mediæ ævi homines consuetudo tulit, ut qui fortiter fecissent, equis donarentur, indeque equites appellarentur apud Latinos: *καβαλλᾶριοι* apud Græcos mediæ ætatis, ut
Simo-

Simocattam Lib. V. c. XIII. *Annam Comnenā Alexiad.* p. 411. *Cantacuzenum* Lib. III. c. XXVII. *Pachymerem* Lib. I. c. XXX. dicuntur. Unde *Caballariorum*, (quod perquam ridicule *Cabbal-
listis* tribuit *Annius Viterb. Comm. in Sempron. p. 213. b.*) *Ca-
ballatorum* & *Cavalleriorum* nomen apud Hincmarum a-
liosque inferioris ævi scriptores, Hispanos etiam, Italos &
Gallos exortum. Habebatur enim rei equestris studium apud
veteres pro nobilium ac illustrium studio, quod præter *Fri-
der. Grisonum*, *Jodocum Ammannum*, *Claud. Cottereum*, *Cæ-
sarem Fiascum* & *Jo. Bapt. Ferratum*, Viri illustres *Marcus Eug-
gerus* & *Paschalis Caracciolus* peculiaribus libris sunt exsecuti.
Venit hic in memoriam perelegantis historiæ, quam apud
recentem scriptorem *Cæs. Baudelotium Præf. Lib. de Util. I-
tin. p. 3. 4.* legi: Eruditissimus quidam vir, qui ex Belgio ad
Christinam, Reginam Sveciæ venerat, jussus a Regina, ut e-
qvo cum illa venatum iret, omnes de re equestri libros per-
tinaci studio evolverat: Cum vero literatus hic eqves, mul-
tum jam sibi in ista arte tribuens, eqvum feroculum con-
scendisset, magno spectantium cachinno mox arenarium e-
qvitem egit.

VIII. Dignum disceptatione caput est, an Græci Roma-
ni que veteres Eqviturum ordines nostris similes habuerint, ut
Gvil. Mennenius statuit, cui adstipulari videntur *Alexander
ab Alex. Lib. II. Dier. Gen. c. XXIX.* *Alex. Sardus de Invent.
Lib. I. c. XXVIII.* *Cæl. Rhodiginus Antiqu. Lect. Lib. VII. c.
XII.* & *Jul. Barbaranus Prompt. Tom. I. Tit. 3. cap. VII.* Cer-
tius omnino ac confidentius incedunt, qui a Seculo post C.
N. XI. quo bella sacra cœperunt, Equestres Ordines proprie
dictos deducunt: Nam passagiales Ordines contra Sarace-
nos instituti omnium primi fuisse censentur, ut a *Celeberi-
mo Polybistore*, *Schurz fleischio* edocti sumus. Quo vero au-
ctore *Mennenius* affirmet, Tiberium Ordinem Eqviturum

Au-

Augustalium instituisse, & Drusum, Claudium ac Germanicum CAESS. illi adscripsisse, mihi non constat. Illi vero prorsus lepide insanire videntur, qui Jacobum, Servatoris fratrem, Episcopum Hierosolymitanum Ordinem Equitum S. Sepulchri instituisse apud *Mennenium* fabulantur, vel Constantino M. originem Ordinum adscribunt.

IX. Elephantini ordinis nomen ab Elephante ortum est, quem equestri symboli loco isti equites usurpant, sicut Aurei Velleris, Lili, Periscelidis, Histricis, Cygni, & Asturconis ordinibus itidem ab insignibus nomina adhæserunt. Nec indignum regio ordine illud nomen censendum est: regii enim aliquid Elephas designat, qui veteri Maurorum lingua Cæsar dicebatur, unde Cæsar's nomen defluxisse *J. Seldenus Part. I. de Tit. Honor. c. V. p. 65.* suspicatur. Elephas res septentrionalibus populis insveta, nomen vero ipsum & memoria non adeo rara apud Danos etiam scriptores, qui ad Græcorum barbarorum, & Gallorum consuetudinem *Elephantis, vel Olivanti* nomen cornubus ex ebore comparatis tribuunt: Ita vetus auctor Hist. Dan. MSTUS illud vocabulum usurpat, cujus verba ex *Ol. Wormii Dissert. de Aureo cornu p. 29.* in Latinum idioma translata ita se habent: *Rex Salimon lorica & galeam Regis Bordantis gladio findens eum occidit, is ad collum gestabat cornu Janemundi, quod OLIVANT vocabatur, cujus sonus per quindecim milliaria Francica audiri potuit: istud cornu in possessionem Rolandi, Caroli M. ex forore nepotis pervenisse, idem auctor testatur. Wormius p. 27.* Poetam Islandicum citat, ita canentem: *per viginti milliaria Gallica audiebatur sonus Olivanti, dum scutorum expugnator cornu inflavit durissimum.* Addit Wormius, hoc nomen proprium istius cornu fuisse, sicut gladii Janemundi nomen *Dyrendal* apud eundem sæpius commemoratur.

X. Transegimus de nomine, in quo admittendo nemo non facilis esset, modo in controversia de origine hujus ordi-

B

nis

nis conveniremus: Eam vero involutam gravissimis difficultatibus & perobscuram esse deprehendimus. In vado res esset, si ad Fridericum II. Daniæ Regem, & superius adeo seculum referenda esset, ut recentiores plerique, imprimis *ILL. Imbosius in Notitia Procerum Imp. p. 341.* faciunt: Sed prisca Danorum scripta evolventibus aliter videtur, quorum plerique a quinque, vel sex seculis hunc ordinem inter Danos celebrem fuisse arbitrantur. Equidem non infrequens est in Historia Danica nomen *Hominum Regis*, quod Equitum Regionum dignitatem fortassis indicat, quamvis alii de clientibus explicare malint: Ita *Erius Rex in Historia gentis Danorum n. LXXXIII. Waldemarus Erlingum constituit Regem Norvegiae & Philippum Ducem, qui ambo facti sunt homines Regis apud Thunbyergb. Ed. Elzevir p. 87. & p. 88. Mistwin, Dux Polonia factus est homo Regis.* Velim tamen hic observari, non ubivis Elephantinum ordinem intelligi, quando apud veteres ordinis Danici mentio fit: Florebant enim majorum tempore duo alii in Dania ordines, videlicet Equitum sepulchri Christi, & Danebrogicorum, sive frugi Danorum, quem Augustissimus Rex, Christianus V. pristino splendori restituit, & *Th. Bartolinus* peculiari ac pererudito scripto celebravit: *Voigtius* ordinem fratrum Danorum, sed contra Danorum sententiam appellat. *De Ord. Elepb. §. 3.*

XI. Non minores de auctore hujus ordinis inter Historiarum consultos controversias animadvertimus: Christiano III. Daniæ Reg. adscribit *Mennenius & Pontanus*, qui cum rerum Danicarum scriptor haberi vellet, ex Belga paucis mutatis sua petiit, & sui parum memor alio loco contrarium tuetur; sed uterque eorum migrat Historiæ rationes, cum longis ante hunc Regem temporibus Elephantini Equites memorentur. *Imbosius l. c.* Friderico II. Regi tribuit: *Fridericus*, inquit, *Ordinem Elepbantiacum A. 1580. d. 26. Junii instituit, cum filiola ejus Augusta sacro baptismatis fonte solemni*

lenni Christianis ritu ablueretur, & Principibus presentibus aureum torquem cum Elephante dependente, e puro auro & gemmis conflato, donavit: Eidem sententiæ accedit *Seldenus* aliique: contradicunt autem vetusta Danorum monumenta, quæ Fridericum ea tempestate ordinem Elephantinum instaurasse, non vero instituisse, tradunt, & insignia ordinis sublata superstitione, immutasse commemorant, quod *Seldenum* Imhofiumque in hallucinationem istam impulit. Non desunt, qui Joanni Danorum Regi, Christierni Tyranni exulis parenti ordinis institutionem vindicent, quibus *Anselmum Voigtium* annumerat: sed nec illi scopum tangunt, renitentibus veterum testimoniis. *Roffeus*, qui Christiano I. Joannis Parenti adscribit, proxime accedit ad veterum mentem, ut infra disputabimus.

XII. Ex adverso alii, nimio forsan antiquitatis studio, ultra terminos progrediuntur, & a seculo XI. aut XII. origines Ordinis nostri arcessunt. Jis ad stipulari videtur *Voigtius*, qui Canutum VI. Danorum Sec. XII. Regem ordinis auctorem constituit, rem tamen argumentis non ita firmat, ut assensum pertinaciori adversario extorquere possit: Equidem Canutum contra Christiani nominis hostes in Asia & Livonia pugnasse, illi largimur, neque tamen inde probabit, quod vult, Canutum contra barbaros hunc ordinem instituisse. Adducit Pontanum, qui ad *A. C. 1188.* refert, Waldemarum II. Canuti fratrem ab illo Regium Equitem creatum; sed eo argumento parum evincet, contradicente Pontano ipso, qui ordinem recentiore facit, maxime, cum plures in Dania Regii ordines essent, ut §. X. enarravimus, morisque insuper ea ætate esset, ut Reges Regum filios, aut cognatos equites sine ordinis alicujus mentione crearent, ut apud Longobardos etiam, Hispanos & Francos olim sicutum fuisse, *P. Diaconus* aliique auctores sunt. Luna crescens, quæ Elephanti olim adponebatur, argumento etiam *Voigtio* est, a Canuto VI. qui

contra Muselmannos Lunæ clientes pugnavit, ordinem Elephantis defluxisse: nobis vero argumentum istud ne quidem topicum videtur, & de ipso Lunæ apud Turcos usu gravis inter insignium peritos disceptatio est, quam nostram non facimus. Præterea Canutus non solus inter Daniæ Reges est, qui contra Muselmannos pugnavit, nam Ericus III. expeditionem quoque adversus illos suscepit, ut ex *Erpoldi Lindenbruchii* Histor. Reg. Dan. n. LXXIX. aliisque Danorum Historicis constat. Nec video, cur non æque Erico huic, ac Canuto, originem ordinis Elephantini vindicent.

XIII. In obscuro igitur ac difficili studio versantur, qui originem nostri ordinis definite interpretari volunt. Istud equidem certum est, antiquiorem illum splendidissimo aurei velleris ordine esse, cum Philippum Bonum in instituendo isto ordine Danorum Elephantinos Equites imitatum, *Pontanus Chorograph. Dan. p. 769.* aliique tradant: Præterea, cum in honorem Mariæ *Θεοτόκου* Elephantinum ordinem constitutum ferant, cuius etiam imaginem initio usurpavit, liquido apparet, ante purgatorum ope Lutheri sacrorum tempus illum cœpisse. Suspicio igitur legitima nobis est, & cui cum priscis æque ac recentioribus auctoribus non male convenit, tempore Christiani I. Regum ex Oldenburgica gente primi, ordinem hunc excitatum: nam ab illo tempore Elephantis mentio apud Historicos fit, cum antea Equitum Reginum solum mentionem faciant. Imo ex ore Celebrissimi Polyhistoris, Schurzfleischii hausimus, Christianum I. merito ordinis instauratorem appellandum, cuius precibus ductus Sixtus IV. Diplomate eum firmavit, ac Elephantum coronam spineam & tres clavos adjecit.

XIV. Originem Ordinis, quantum fieri potuit, investigavimus, consequitur, ut ad quodnam ordinum equestrium genus referendus sit, exploremus. Ac primo constat Historiarum peritis, Ordines Equitum in sacros & profanos dividi:

vidi: sacros appellamus, qui ad exemplum ordinum mona-
 sticorum vota tria requirunt, præcipue vero conjugii iugam
 & quotidianum statumque Dei, aut sancti alicujus cultum
 annexum habent: Eorum rursus duo sunt genera, Bellici sci-
 licet & Ecclesiastici ordines. Bellici apud mediæ ætatis scri-
 ptores *Passagiales* appellantur a *Passagiis*, sive expeditioni-
 bus in Palæstinam susceptis, & instituti erant contra Chri-
 stiani nominis hostes, vel eos etiam, quos pro Hæreticis a-
 gnoscebant, eos enim *Passaginos* & *Passagios* dicebant, ut ex
Bonacursii Vit. Heret. p. 75. & Waddingi Annal. Minor. a.
1254. n. 16. a. 1325. n. 18. constat. Convenit vero istud nomen
 cum primis ordinibus, qui ad recuperandam, vel defenden-
 dam Palæstinam instituti erant. Censentur eo nomine: Or-
 do Equitum *S. Joannis*, qui postea Rhodienses & Melitenses
 a provinciis, quas possidebant, dicti sunt, Equitum *Mariano-*
rum, sive Teutonicorum, aut Crucigerorum, Equitum *En-*
siferorum, qui cum Crucigeris Sec. XIII. conjuncti sunt, E-
 quitum *Templariorum*, sive militiæ Templi, qui Sec. XIV. ini-
 tio ad incitas redacti sunt, Equites Hispanici *S. Jacobi*, *Al-*
cantara & *Calatrava*, *S. Sepulchri*, sive Equites Hierosoly-
 mitani, Ordo Equitum *Fidei* contra Albigenses institu-
 tus, Sec. XIII. florens, quem commemorat *Car. Du Fresne T.*
III. Glossar. Latino Barbari p. 63. Ordo Equitum *S. Joannis Ac-*
conitani & *S. Thome* apud Mennenium, *S. Salvatoris* in Ar-
 ragonia contra Mauros Sec. XII. institutus, Equitum *Montis*
Gaudii etiam Sec. XII. clarorum, Ordo *Christi* a Dominico
 contra Albigenses institutus, *Montesia* contra Mauros, *Chri-*
sti & *Avisi* in Lusitania contra eos, *Draconis* in Hungaria con-
 tra Turcos, *S. Georgii* in Carinthia contra eosdem a Frider. III.
 AVG. institutus, *Militum S. Petri* etiam contra Turcos a Leo-
 ne X. Papa, Ordo *Crucis Burgundicæ* a Carolo V. AUG. or-
 tus, *S. Stephani* in Hetruria, & *Militiæ Christianæ* contra Tur-

cos A. 1620. institutus, denique equitum Svecorum apud *Seldenum Part. I. de Tit. Honor. p. 140.*

XV. Atque huic sacro Ordinum generi nonnulli Elephantinum nostrum adscribunt ac vindicant, cujus sententia patroni esse nobis videntur *Mennenius & Voigtius*, qui vel ad Passagiales, vel tamen ad Ecclesiasticos ordines eum reducunt: Nam a Passagiis, sive Danorum contra Saracenos expeditionibus *Voigtius* eum arcessit: *Mennenius* vero in Mariae *Θεοτόκου* honorem institutum, clare ac perspicue tradit. Nam præter Passagiales extant etiam alii sacri Ordines, quos Ecclesiasticos dicunt, & qui ut plurimum ad exercenda amoris Christiani officia, præcipue liberationem captivorum, defensionem peregrinantium ad loca sacra, & pacis concordiaque stabilimentum sanciti sunt, ut *Joannitarum & Templariorum*, qui postea in passagiales mutati sunt, *S. Lazari & S. Mauritii* in Sabaudia, quibus tamen conjugatis esse per leges licebat, quosque *Becmannus* præter rem ad passagiales ordines refert, Equitum *Carmelitarum* in Gallia, *S. Mariae de mercede* ad redimendos captivos in Arragonia, *Ordo S. Mariae gloriose* ad pacem Italiae reparandam: vel ad sanctorum defunctorum honorem tendunt, ut *Ordo Equitum Lillii* in Navarra regno, *Equitum Laurentanorum* a Sixto V. A. 1586. institutus: Ad quos etiam referendi sunt duo recentiores ordines nobiles foeminei ad equestrium imitationem ab Eleonora AUG. Ferdinandi III. Coniuge instituti, prior quidem *Mancipiorum virtutis* 1662. cui adscripta catenam auream cum sole gerunt, & *sociata venerationis Crucis* A. 1668. cuius alumnae crucem quatuor stellis & quatuor aquilis ornata usurpant.

XVI. Qui sacrorum ordinum conditionem studiose expendunt, facile in eam deveniunt sententiam, nostrum ordinem cum illis nihil commercii habere: Cum enim sacrorum ordinum Equitibus conjugio semper interdictum fuerit,

rit,

rit, nunquam legimus, id Elephantinis etiam usu venisse; quin potius ante sacra per Lutherum repurgata viros illustres conjugio adstrictos, & inter hos Ludovicum Mantuæ Principem illi adscriptos, deprehendimus. Habebant præterea sacri ordines statuta ac regulas, quibus jure jurando equites adstringebantur, quæ a *Mennenio*, *Miræo*, & *Megifero* edita sunt. In his regulis continebantur tria vota Ecclesiastica, castitatis, obedientiæ & paupertatis, ut in *Regulis Ord. Joann. n. 1.* Jubebantur quotidie Missam audire, aut preces statas observare, ut in *Regulis Equ. Sepulchri n. 1. Ord. Joann. n. XI. XIV. Ord. Milit. Christi, n. XXII.* observamus. Pollicebantur, se contra hostes Christiani nominis depugnatos, ut ex *Reg. Ord. Sepulch. n. V. Ord. Joann. n. II. Ord. Mil. Christi n. I.* constat. De Ordine autem Elephantino nusquam legimus, ejus candidatos ad regulas & sanctiones eas, quas enumeravimus, adstrictos fuisse.

XVII. Objiciunt nobis, qui contrariam sententiam tuentur, Elephantinum ordinem in honorem Mariæ Θεοτόκου institutum & initio ordinem S. Mariæ dictum esse, ut *Miræus Lib. II. de Orig. Ord. Equ. cap. X. Mennenius in Symb. Ord. Militar. p. 148. seq.* affirmant. Sed cum apud scriptores rerum Danicarum, si *Pontanum*, qui *Mennenium* sequitur, excipiamus, ejus rei memoria non occurrat, ambigui sumus, an scriptoribus illis, alioqui in Ordinis hujus Historia hallucinantibus, fides habenda sit. Imo si vel maxime largiremur, quod *Miræus* & *Mennenius* postulant, nondum tamen ad sacros ordines Elephantinus reducitur, cui nomen S. Mariæ cum plerisque superiorum seculorum ordinibus commune fuit, hanc enim cum Jo. Baptista & Georgio plerique Equites patronam agnoscebant. Ordo *Teutonicus*, Ordo *Lilii Navarreni*, *Calatrava*, *Stella* in Anglia, *Equitum Redemptionis captivorum*, *Mariae Gloriosæ*, *Annunciationis Angelicæ* in Sabaudia, *Cardui Borbonici*, *Equitum Lauretanorum* & *Militia Christiana*

ne vel nomen, vel insignia Mariæ usurpant, inter quos quidam sunt, qui cum sacris ordinibus nihil commercii habent. Quin imo reliqui etiam ordines profani suos ex sanctis patronos olim agnoscebant, ut Ordo Aurei velleris *S. Andream*, Periscelidis *S. Georgium*, Conchyliatus R. Gallici *Michaellem*.

XVIII. Consequens igitur est, ad Civiles Ordines Elephantinum referendum esse, quo nomine eos appellamus, quibus sacra vota, praecipue conjugii neglectus non injungitur, qui-que a Regibus Principibusque publici splendoris, excitandæque fortitudinis, et patriæ defendendæ causa instituuntur. Civiles appellamus, ut a sacris distingvantur, etsi non ignoremus, communi doctorum consensu Equitum dignitatem mediam inter sacram & civilem haberi. Eos *Becmannus in Notit. Dign. Illustr.* dividit in Torquatos, Cruciatos & Auratos: addimus ex *Menetrerio*, Togatos & Joculares. Torqvati dicuntur, qui Principibus originem debent, & certa insignia ab illis electa in torqve, vel fascia suspensa gerunt: appellantur etiam Ordines *Clinodiorum*, a clinodiis, quod vocabulum ex Heraldica arte & Germanica lingua petatum insignia notat, quæ galeis imponuntur, vel torqvibus annectuntur. Hujus generis Equites sunt: Equites *Aurei Velleris*, qui oviculam auream, *S. Michaelis*, qui imaginem Michaelis Diabolum vincens in torqve conchyliato, *Spiritus S.*, qui columbam, *Annuntiationis*, qui Gabrielis Mariam salutantis imaginem loco symboli usurpant. Eodem spectat Ordo *Periscelidis*, Ordines Torqvati minores, ut Equitum *Balnei* in Anglia, *Danebrogicorum* in Dania, & *S. Marci*, sive Leonis alati Venetus: & ex antiquis ordinibus Ordo *Equitum Canis*, a Principibus Montmorentiis institutus, qui torqvem capitibus cervorum distinctum, canis effigie appendente, ut ex *P. Moræo* & *Mennenio* constat, *Equitum Galli Gallinacei* apud *Beloyum*, *Equitum Asturconis*, non quidem a Carolo Martello, ut vulgo traditur, sed a Regibus Gallicis

licis posterioribus instituta, qui mustelam Hispanicam clinodii loco adhibebant: *Equitum Stella* a Joanne Valesio, Rege Galliae ortus: *Equitum Cygni*, qui olim in Belgio floruit: *Histricis* a Carolo VI. Rege Galliae, & *Cardui* a Ludov. II. Duce Borbonio instituti: *Equitum Scotiorum Cardui & Rutæ*, qui torques ex carduis & foliis rutæ gerebant a Regibus Scoticis originem ducentes: *Equitum Columba* a Joanne I. Rege Castiliæ ortus: *Equitum Spicæ* a Francisco I. Duce Britanniae minoris institutus, qui torquem ex spicis confectum annexo mure Armenio gerebant.

XIX. Cruciatii equites in censu civilium non adeo multi occurrunt facileque prætermitti possent, ad quos tamen revocamus *Equites S. Georgii* in Republica Genuensi, hi enim crucem loco insignium usurpant, etsi inter civiles ordines censeantur. Aurati vero, auctore *Mennenio* dicuntur, quibus auri præcinctura auratisque calcaribus uti licet, quod nobilibus aliis concessum olim non erat: Hi ab Imperatoribus creabantur, interdum etiam a Regibus, nullique alii ordini certo adstricti, suis meritis censebantur. Togatos ordines equestres alii cum *Menetrerio* legales vocant, quod genus honoris doctis, Comitibus præcipue Palatinis, & Juris civilis Doctoribus conferri soluit, cujus exempla superiori seculo plura extant. Ad hanc classem spectat *ordo Equitum Piorum* a Pio IV. Pontifice Romano institutus A. 1560. *Ciaconio* teste, quos ipse Imperatoriis Regiisque Equitibus anteposendos censuit, & *Equites S. Marci*, quibus Respublica Veneta *D. Heinsium* aliosque doctos adscripsit. Denique jocularis equites eos appellamus, qui lusus jocique causa certis nominibus insignes fuerunt: Ad hos referre liceat *Ordinem Asinorum* Sec. XII. ac XIII, quibus eqvo uti non licebat, & *Equites Leporis* in Gallia Sec. XIV. ex ridiculo facti ortos, ac *Mennenio* commemoratos.

XX. Prima Ordinum civilium classis, nempe Aurata

C

ita



ita porro distingvitur, ut ordines ad illam spectantes, vel Illustriſſimi ſunt, vel minus Illuſtres: Illi ita dicuntur, quod non niſi Illuſtriſſimis, & Principum Comitumque axiomate ornatis tribuantur, iisque quibus conferuntur dignitatem Principum ſplendore dignam tribuant, vulgo Ordines majores & Regii dicuntur: eoque nomine Ordines *Aurei Velleris & Perifcelidis*, quos Hiſpaniæ Britanniaque Rex Illuſtribus conferunt, Ordo *S. Spiritus*, & quem nuper Ludovicus XIV. inſtituit *S. Ludovici* in Gallia cenſentur. Facile ex jam dictis fuerit colligere, Elephantinum ad Civiles, & quidem Torquatos ordines referendum eſſe, & inter majores Regiosque ordines non infimum locum obtinere. Eſt enim Equites illi torquem, ut olim fecere, hodie non uſurpent, ejus tamen loco fascia utuntur, eique annexum Elephantem *clinodii*, ut vocatur, vice gerunt; nec temere niſi Seremiſſimis Illuſtriſſimisque Heroibus a Patrono ac Præſide ordinis, Danorum Monarcha dignitas illa tribui ſolet.

XXI. Equidem paulo diffuſiores fuimus in explicando genere, ad quod noſter ordo referendus eſt, eo tamen libentius iſtud fecimus, quod ad illuſtrandas controverſias reliquas permultum faciat. Sequitur enim, ut de cauſa inſtituti ordinis Elephantini diſquiramus: ac fatemur initio, nos in dubio hæſere certiſſime ac indubitati nihil, non minus de auctore, quam origine ejus tradere omnino poſſe: Tantum vero ab eſt, ut ſplendori hujus Regii ordinis aliquid detrahat, ut potius ſummam ejus antiquitatem luculenter demonſtret: Nec aliter ſe res habet cum Regio Perifcelidis in Anglia Ordine, cujus origines cauſasque *Camdenus in Atrebatiiſ p. 207. 212. & Seldenus Part. II. de Titul. Honorum p. 550. 551.* perquam dubias faciunt: alii enim cum *Auctore veteri Inſtitut. ordinis ſubligaculi* a Richardo I. deducunt, & contra barbaros, Chriſtiani nominis hoſtes ad ordinum paſſagialium rationem inſtitutum tradunt, apud *Seldenum p. 550. Mennenius Bernb. Gi-*

rardum ejusdem sententiæ auctorem facit. Pleriqve Edu- ardo III. tribuunt, sed in assignanda causa differunt: alii e- nim ad memoriam victoriarum a Gallis reportatarum, alii ad memoriam subligaculi Joannæ, Comitis Sarisburiensis, quam Regem deperiisse dicunt, vel Reginae, inter choreas deciden- te, sancitum existimant: Sed hanc fabulam in ordinis igno- miniam circumferri, *Elias Ashmolius in Institut. & Legibus Ord. Periscel. cap. V. Sect. 11. & Camerarius in stat. Anglic. Part. I. c. XIX.* contendunt. *Polydorus Vergilius, Camdenus ac Sel- denus* ita de hac re loqvuntur, ut eam, nec omnino admit- tant, nec prorsus rejiciant.

XXII. *Qvi* Elephantinum ordinem ad passagiales re- ferunt, in ea sunt sententia, illum ab expeditionibus Danorum sacris contra Muselmannos oriri, ut *Voigtius de Ord. Elepb. §. I.* censet. Verum huic sententiæ, etsi non adeo conte- mnenda videatur, non assurgunt consulti Antiquitatum Eque- strium, nec ipse *Celeb. Olig. Jacobæus* qui nuper Musæum Re- gium Danicum descripsit & de nostro Ordine p. 75. 76. 78. 97. seq. eruditissime egit, omnino illi accedere videtur. Non eqvidem diffitemur, magna Danicæ gentis, quæ olim Nor- mannica appellabatur, pro Christiano nomine contra barba- ros merita fuisse: Nam in bellis sacris expeditionibusque in Palæstinam susceptis, quas *Gvil. Tyrius* copiose descripsit, mul- ta laude dignissima patravit. Svenonis, Danorum Principis in exercitu Godofredi Bullionii, primi ex Christianis Hieroso- lymæ Regis gesta commemorant *Albertus Stadenfis in Chron. ad A. 1097. Paulus Aemilius in Rebus Franc. sub Pbil. I. p. 125. Gvil. Tyrius Lib. IV. c. XX. p. 95. Pontanus ad A. 1103. Sub Bal- duino I. Rege Hieros. Classis Danorum & Norvagorum ad- versus barbaros profecta, Regi in expugnanda Sidone magno usui fuit, ut Gvil. Tyrius Lib. XI. c. XVI. p. 249. Petr. Bizar- rus Histor. Gen. p. 596. & alii narrant. De Erico & Canuto supra diximus. Nec diffiteor, occasionem fortassis aliquam*

auctores ordinis inde cepisse, sed ut ipso expeditionum tempore earumque causa institutum concedam, nondum animum induxi.

XXIII. Celeberrimus *Jacobæus* pronior in *Favyni* aliorumque sententiam videtur, qui ad honorem Mariæ Θεοτόκου Elephantinum ordinem sancitum credunt, atque ex bullis Pontificum, quibus narratur, Christianum I. *fraternitatem quendam sub vocabulo B. Mariæ de novo instituisse*, auctoritatem illi conciliare studet, adductis *Bulla Indulgentiarum Pii II. Viterbii A. 1463. d. 8. Junii* exarata, & *Sixti IV. Rom. 1474. 12. Kal. Maji* edita. Quarum ultima dubio procul de ordine Elephantino agit, de prima dubitare liceat, cum monasticum potius collegium designari *fraternitatis* vocabulo videatur, quippe quo monasticos ordines appellari, ut apud Græcos inferioris ætatis voce ἀδελφότητος, ex *C. Du Fresne Not. ad Cinnamon p. 434* & *J. Mabillonii Præfat. ad T. I. Sec. III. Benedict. §. 100* apparet: equestribus autem concessum nullibi legimus; Altera vero Bulla de cultu Mariæ nihil continet, unde illis argumentis res nondum judicata videtur.

XXIV. Quidquid ejus rei sit, certum est, & antiquum esse Elephantinum Ordinem, & a Gloriosissimis Daniæ Regibus institutum, ut decori Heroibus, ornamento regno ipsi esset: unde Elephantem insigne ordinis esse voluerunt, quare §. IX. disquisivimus. In rationem hujus rei uberius inquirunt consulti Ordinum, & *Voigtius* quidem Asiaticum illud animal τεκμηρίον loco adhibitum judicat, ob expeditiones istorum Equitum sacras in Asiam contra Christiani nominis hostes susceptas: addit etiam, alios a Danico quodam Principe derivare, qui in prælio Elephantem occiderit: Sed σοχασμοῖς istis antea fides habenda non est, quam ex Historia confirmantur, ac stabiliantur. Istud certum atque extra dubium constitutum est, Elephantem signum Regio ordini constitutum, ut ad generosam fortitudinem, cujus velut imaginem

nem quendam in Elephante veteres æque ac recentiores observarunt, ordini adscriptos excitaret.

XXV. Insignia Ordinis nostri crebro immutata Historici tradunt. Nam a *Christiano I.* ad *Frider. II.* teste *Miræo, Lib. II. de Orig. Ord. Equestr. cap. X.* quatuor elephantibus per quatuor cruces connexis constabant, quibus imago Mariæ cum luna crescente inferius annexa erat: Cruces vero postea in calcaria mutatas, idem auctor docet. *Fridericus II.* unicum elephantem, eumque turritum retinuit torqvi aureo appendentem, cuius medio corpori litera F. pectori literæ M. I. Z. G. A. inscripta erant, sub pedibus vero literæ T. I. W. B. observabantur, quibus symbola optimi Regum, *Meine Hoffnung Ist Zu Gott Allein, et Treu Ist Wild Bret* indicabantur. *Christianus IV.* medio Elephantis corpori primum quatuor adamantes in crucis formam dispositos adjecit, cum brachio armato, additis etiam Lemmatibus: *Elephas non curat muscas, & Regna firmat pietas.* *Frider. VII.* quinque adamantes pectori elephantis imposuit, & torqvem in fasciam cœruleam mutavit: stellam etiam argenteam addidit, cum Lemmate, *Dominus providebit.* Fasciæ vero cœruleæ originem, alii *Christiano V.* qui nunc gloriose imperat, adscribunt.

XXVI. Accepi insignia Ordinis hodie ita se habere: Fasciæ cœruleæ latæ adhæret elephas opere albo encaustico, cui turris imposita est, & collo æthiops sagitta armatus insidet, in medio vero corpore quinque adamantes ad crucis figuram dispositi observantur. Præter hoc *κειμήλιον* Equites Elephantini in pectore gerunt stellam octo angularem albam, quæ crucem albam rubro margine cinctam, *Danebrogicam* appellant, continet. Solent etiam insignia hujus ordinis separatim ita exhiberi, ut leo coronatus fasciam cum elephante teneat, addita inscriptione: *Qvis digno invideat.* *Vid. Bartholinus de Ord. Danebrog. & Imhofius Lib. IV. Notit. Procerum Imperii p. 346.* Equitum vestimenta solennia describit *Cl. Tenzelius Colloqv. Mens. A. 1695. p. 916.* qui etiam observat, Regem loco fasciæ torqvem ex Elephantibus & turribus compositum usurpare. Sanctiones, aut regulas hujus ordinis nullas extare, affirmat *Voigtius*; sed in alia omnia abire nos jubet auctoritas *Cl. Tenzelii* qui p. 901. se sanctiones hujus ordinis, una cum diplomate ad *Fridericum*, Ducem Saxoniae Gothanum missas oculis usurpassè, easque in equitum renunciatione prælegi, affirmat.

XXVII. In Numis Danicis non infrequenter Regii hujus ordinis, ipsiusque Elephantis vestigia occurrunt. Extat *Frider. II.* numus, A. 1580. cufus, in cuius anteriori parte Regis effigies elephantem cum torqve

aureo pendulum gerentis, in posteriori Elephas turritus, in cuius pectore F. & sub pedibus T. I. W. B. cernitur, apud *Cel. Jacobæum, Mus. Regii p. 75.* Christiani IV. complures hujus ordinis numi exstant: Duos enumerat *Mennenius in Delic. Equest. p. 148. seq.* in quorum antica CHRISTIANUS IV. D. G. DAN. NOR. VA. GO. REX. in postica prioris tredecim insignia regionum Danicarum cum cruce Danica, cui Elephas subest: in postica posterioris Elephantem turritum conspicimus. Plures affert *Jacobæus*, inter quos eminet aureus anno 1597. percussus, in cuius antica nomen & protome Regis, additis verbis, NAT. XX. in postica elephas, cui turris militibus plena imposita est, addito lemmate: REGNA FIRMAT PIETAS. *Musæi Regii p. 79.* alius ejusdem metalli & figuræ A. 1603. percussus exhibetur *p. 81.* nec differt multum ille, qui in anteriori parte Elephantem, in posteriori C. Coronatum signat, *pag. 80.* & alius ejusdem ordinis *p. 84.* Fridericus III. in pluribus numis Elephantem usus est, inter quos elegantissimi sunt duo, quorum unus Elephantem exhibet irritatum, qui sessorem dejiciens, & proboscide capricornum indignabundus attollens, angvem stimulantem pedibus contundit, apud *Jacobæum Mus. Reg. p. 89.* cuius significatio in proclivi est: alter Leonem Norvagicum & Elephantem turritum continet apud eundem *p. 94.* Christiani V. numos, ut recentiores prætermittimus.

XXVIII, Facile foret ex iis, quæ diximus, Historiam & Chronicon succinctum Regii hujus ordinis ad exemplum *Franc. Radefii de Andrada*, qui Chronicon ordinis Alcantariensis scripsit, conficere. Sufficiat in præsens sequens sciagraphia.

A. C. 1463. Pius II Bullam Viterbii confirmandi Ordinis Elephantini gratia secundum *Jacobæum p. 75.* edidit.

A. C. 1474. Christianus I. Rex Daniæ in peregrinatione Italica Ludovico, Marchioni Mantuæ hunc ordinem confert.

Eodem anno Ordo a Sixto IV. Pontifice Bulla Romana confirmatur.

A. C. 1478 Christianus I. in nuptiis filii Joannis cum filia Ernesti, Marchionis Misniæ solemnitate publica ordinem renovat, quod *Favynno* occasionem erroris dedit, qui hoc anno ordinem sancitum in *Theatro Hon. p. 1363.* contendit.

A. C. 1580. Fridericus II. cum filia ejus Augusta sacro baptismatis ritu initiaretur, ordinem restauravit, & quibusdam Principibus eum contulit, quod occasionem dedit *Imbosio* originem ordinis huic anno assignandi.

A. C.

- A. C. 1597. circiter Christianus IV. insignia ordinis paulisper immutavit.
- A. C. 1663. Joh. Georgio III. postmodum Electori Saxoniae ordo collatus est.
- A. C. 1667. Christianus Albertus, Dux Holsatiae, Kiloniensis Academiae auctor, & Augustus Fridericus, Episcopus Lubecensis, fratres ordinem susceperunt.
- A. C. 1668. Christiano Ernesto, Marchioni Brandenburgensi Baruthino ordo concessus est.
- A. C. 1670. Jo. Adolphus, Dux Holsatiae Ploenensis ordine donatus est.
- A. C. 1671. Christianus V. in auspiciatissimis filii primogeniti, Frider. IV. natalibus ordinem restauravit, & insignia aliqua ratione immutavit.
- A. C. 1676. Augustus, Dux Holsatiae Norburgensis ordinem adeptus est.
- A. C. 1678. Fridericus III. postmodum Elector Brandenburgensis in ordinem adsciscitur.
- A. C. 1680. Fridericus, Landgravius Hassiae Homburgensis ordinem suscipit.
- A. C. 1681. Ferdinandus Gvilielmus, Dux Wurtembergensis, Heros maximus Ordini accedit.
- A. C. 1682. Fridericus Magnus, Marchio Bada Durlacensis, & Christianus Eberhardus, Princeps Frisiae Orientalis in ordinem recipiuntur.
- A. C. 1683. Antonius Ulricus, Dux Brunsvicensis Gvelferbytanus ordini adscribitur.
- A. C. 1684. Alberto, Duci Saxoniae Coburgensi eadem dignitas offertur.
- A. C. 1686. Fridericus Augustus, Dux, postea Elector Saxoniae Elephantem ornatur.
- A. C. 1687. Carolus, Landgravius Hassiae Cassellanus ordinem recipit.
- A. C. 1694. d. 4. Julii Fridericoburgi Ordo solemnitatibus publicis restauratus est, quas describit. *Cl. Tenzelius Colloqv. Mens. A. 1695. p. 905. seqq.*
- A. C. 1694. Pleias Serenissima Equitum recepta est, videlicet: Fridericus, Dux Saxoniae Gothanus, Eberhardus Ludovicus, Dux Wur-

Wurtemberga Stutgardenfis, Ernestus Ludovicus, Landgravius Hassiæ familiæ Cassellanae Fridericus Ludovicus, Dux Holstatiæ, Leopoldus Eberhardus, Dux Wurtemberga Montisbelicardiensis.

A. C. 1695. Wilhelmus, Princeps Anhaltinus Hazqverodensis ordini associatur.

A. C. 1697. die 14. Februarii Serenissimo Principi, D. Jo. Adolpho, Duci Saxonico ordo oblatus est.

XXIX. Socii Ordinis ex decreto Regum Ordinis conditorum XXXVI. sunt, & in quatuor classes, nempe Principum familiæ Regiæ, Electorum, Principum S. R. Imperii, & Comitum sive Illustrium dividuntur. Magistrum ceremoniarum Ordinis nuper agebat *Ebrenschildius*, Secretarium *Lerchius*, viri meritis & dignitate Illustres. Sedes ordinis Fridericoburgi in Sacello Regio censetur, ubi in superiori templi parte versus aram insignia equitum & sellæ circa thronum Regium dispositæ videntur.

XXX. Hæc habui, quæ de Regio hoc ordine commentarer, studiose quidem conquisita ex dignissimorum fide auctorum monumentis, habitoque selectu in hunc ordinem collata. Neque tamen ideo amior omnem lapsus errorisque suspensionem, quam evitare in isto studiorum genere divinum foret: eoque facilius ab æquis lectoribus veniam mihi polliceor ac spondeo. Aeternum Numen in hoc operis termino supplex veneror ac rogo: Servet indulgentissimum PATRIAE PATREM, Serenissimum JO. ADOLPHUM, Serenissimam Patriæ Matrem, CHRISTIANAM GVILELMINAM, & Augustam Patriæ spem, JO. GEORGIUM, cum Serenissimis Cognatis, prosperum illi faustissimumque regimen, singulis Principali fastigio dignam felicitatem largiatur.

D. S. G.

1077

110

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta		Dark Gray	

LIBRARY
M. VAL. ERB.
BIBLIOTHECA
CKAVIANA

